

non sit talis actus, sed potius fornicationis. Confirmatur: nam si quis vellet exercere illum actum hic et nunc secundum præsentem statum, peccaret sine dubio; ergo etiamsi vult actu delectationem illam: et hoc tandem modo videtur Cajetanus se exponere, licet obscure. Neque obstat ratio in contrarium, concedo enim esse eandem rationem de actu, et delectatione, si pro eodem tempore sumatur, et pro eisdem circumstantiis, non est autem eadem ratio de delectatione præsentis, et actu præterito: nam licet sola temporis successio non efficiat istam varietatem honesti, vel turpis, tamen in diversis temporibus potest obiectum, vel circumstantia variari.

14. *Quintum corollarium.*—Quinto sequitur, non esse licitum delectari de actu præterito qui per se malus est, licet ex ignorantia invincibili, vel alia ratione fuerit commissus sine culpa: patet ex dictis. Sed est advertenda differentia inter istam delectationem et præcedentem, nam quando actus præteritus est per se honestus, licet postea consentire in illum, quamvis non semper liceat delectationem novam ejusdem rationis capere: tamen quando actus per se est malus, et aliunde excusatur, postea neque consentire in illum licet, neque velle illum. Ita Paludanus 4, dist. 8, quæst. 4, et Adrianus, quæst. 4, de Eucharistia, et Soto, dist. 12, quæst. 1, art. 7. Et ratio est, quia ille actus per se est pravum obiectum, et ideo nunquam licet illum velle. Confirmatur, nam ille actus præteritus excusatur, quia fuit involuntarius; ergo si accedat voluntas, non erit unde excusetur. Videantur dicta supra de conscientia erronea.

15. *Observatio secunda pro dictis.*—Addendum est tamen primo, actum præteritum non fieri malum propter consensum habitum, quia nunquam ille actus procedit a mala notitia, sed solum se habet per modum obiecti; solus ergo motus interioris consensus peccatum est. Secundo addendum est, quamvis non liceat gaudere de actu præterito secundum se, et propter ejus voluptatem, licitum tamen esse gaudere de bono effectu inde secuto, atque adeo de illo actu tantum ut fuit causa talis effectus, licet dicti auctores videantur repugnare, tamen in hoc convenit D. Thomas 4, dist. 9, art. 4 et 5, et D. Antoninus, 2 part., titulo 6, cap. 5, et Cajetanus 2, 2, quæst. 154, art. 5, Navarrus, supra, Sylvester et alii: ratio est, quia ille effectus potest esse secundum se honeste amabilis; ergo id quod est causa ejus, ut sic, potest honeste amari, si aliunde non sit

turpitudine, ut in proposito nulla esse videtur, quia neque amatur talis actus per se, neque delectatio ejus, neque præterea in re ipsa male vel inhoneste fit. Sed contra; ergo licebit desiderare illum actum illo modo. Respondeo per se concedo: ita Navarrus, qui late hoc confirmat, sed eadem ratione probatur, quia ut sic non est malum obiectum. Sed urgebis: ergo si licet desiderare: ergo et procurare. Respondeo negando consequentiam, nam sæpe non licet conari ad exequendum omne id quod licet desiderare, et ratio est, quia non quidquid possum pati ab alia causa sine peccato, possum egolite facere, unde interdum licet desiderare propriam mortem, vel alterius, et non procurare, vel efficere.

PUNCTUM II.

Quando voluntas censetur consentire.

16. *Consensus non est imperfectus ex brevi mora.*—*Primum caput imperfecti consensus est imperfecta advertentia.*—Pro secunda parte quæstionis, posita in fine n. 1, quando scilicet judicandum sit voluntatem plene consentire, breviter advertendum est, istum consensum duo requirere, advertentiam intellectus plenam et perfectam, et motum voluntatis, et quando ista duo conveniunt, est non solum plenus, sed etiam directus consensus voluntatis, qui sufficit, licet per unum instans tantum duret, non est enim ex tempore perfectio consensus pensanda, licet Almainus supra oppositum indicet: nam licet sit verum, deliberationem perfectam requirere tempus, tamen posita jam debita advertentia consensus fieri potest subito. Ex quo sequitur ex duplici capite posse istum consensum non esse perfectum: primum est advertentia intellectus: et quidem si advertentia nulla omnino sit, nullus quoque est consensus: atque adeo nullum peccatum veniale, quia totus ille motus est naturalis: et licet duret per tempus aliquod delectatio et motus in sensu, si tamen dispositio rationis sit semper eadem nullum adhuc est peccatum. Nam, ut ait D. Thomas, art. 6, ad 3, delectatio hæc non est morosa ratione temporis, sed ratione voluntatis, idemque sentiunt alii: et colligitur ex Augustino 12, de Trinitat., capit. decimo secundo: si tamen advertentia sit aliqua, imperfecta tamen, erit quidem qualis consensus, sed non qui sufficiat ad peccatum mortale.

17. *Quando intercedat hæc imperfectio.*—Est autem difficile cognoscere quando adest

advertentia, et tamen imperfecta, propter quod Ocham, quem Almainus refert, nullam credit esse advertentiam rationis quasi mediam, id est, quæ sufficiat ad veniale, et non mortale; sed omnes theologi illam admittunt, alias nullum esset peccatum veniale ex suspensione: potest autem explicari, vel quia tam naturalis est illa advertentia, ut non habeat homo locum perfecte deliberandi; vel certe, quia aliquo modo advertit quid agat, tamen non advertit malitiam et turpitudinem: denique quia licet possit simpliciter advertere, tamen non cum pleno dominio sui actus: vide Cajetanus, supra, et Adrianum, quæst. 4, de Eucharistia, et Gersonem, 2 part., alphabeto 3, solum est notandum istum defectum advertentiæ in tantum excusare, in quantum ille est involuntarius: quare si illa inadvertentia sit voluntaria, non excusabit: potest autem esse voluntaria vel in se, vel in causa, ut quando quis scienter se exponit periculo morali patiendi istos motus, qui mentem ejus raptant, arbitror tamen raro, aut nunquam hoc esse peccatum mortale, nisi aliquis directe illud prævideat et velit, quia non potest homo tam a longe humano modo prævenire istas motiones et inadvertentias. Vide, si placet, supra, tract. 2, disp. 4, sect. 3.

18. *Secundum caput imperfecti consensus.*—*An non cohibere appetitum sit consentire perfecte.*—*Prima sententia negans.*—Secundum caput hujus imperfecti consensus esse potest, postquam fuit plena advertentia rationis, in quo dubium est, an posita ista advertentia si directe voluntas non consentiat, censenda sit saltem indirecte, et virtute consentire, si veluti negative habeat, et non curet excutere delectationem et concupiscentiam, licet illam non velit. Prima sententia simpliciter negat ibi esse consensum sufficientem ad mortale: ratio est, quia tota hæc obligatio oritur ex præcepto negativo non concupiscendi. Hoc autem præceptum non obligat ad agendum, atque adeo neque ad depellendum motum naturalem, sed neque ad consentiendum. Confirmatur, quia delectatio appetitus naturalis est, et nulli est nociva. Tandem, quia alias semper teneretur homo expellere istam delectationem statim, atque sentit illam, neque liceret illam unquam permittere, quod est falsum, et sequela patet, quia si illa obligatio oritur ex præcepto naturali; ergo oppositum est intrinsece malum, ita Henricus, quodl. 6, quæst. 4.

19. *Secunda sententia indistincte affirmans.*

—Secunda sententia contraria sine distinctione affirmat ibi esse plenum consensum morale indirectum: ita D. Thomas, et Navarrus, et Cajetanus indicant, D. Thomas, 1, 2, q. 74, art. 7, ad 3 et 4, art. 8, ad secundum, et quæstione decima quinta de Veritate, articulo quarto ad primum, Sylvester et alii Summistæ, et Adrianus, supra. Fundamentum esse debet, quia præceptum negativum, quod prohibet actum de se malum, non solum prohibet consentire in illum actum, sed etiam permittere, verbi gratia, mortem proximi, si possum impedire, ut si ab altero moveretur ad percipiendum alterum; teneretur non solum non consentire, sed etiam resistere: et eodem modo mulier, cui violentia inferitur, tenetur resistere, si potest; ergo similiter, etc.; ergo si non faciat, indirecte consentit, et vult illam delectationem.

20. *Judicium de hac sententia.*—Et hæc sententia vera est, si recte explicetur: nam ex opposita simpliciter prolata sequuntur multa incommoda. Sed primo addendum est intelligendum esse quando omnino nullam diligentiam quis adhibet ut excutiat delectationem: nam si aliquam diligentiam faciat, licet non tanta sit, quanta esse debet, poterit consensus esse imperfectus ratione diligentie imperfectæ: quanta vero et qualis sit ista negligentia, vix potest a nobis dici. Secundo addendum est non eodem modo teneri hominem ad non consentiendum, et ad expellendam delectationem: nam primum per se primo oritur ex præcepto negativo naturali, non consentire, et ratio pro semper obligat, et ideo nullo titulo neque occasione licet se exponere periculo consentiendi. Secundum vero oritur potius ex affirmativo præcepto, licet in negativo contento, et omnino non obligat pro semper. Simile est quod dixi agendo de voluntario indirecto.

21. *Non repellere concupiscentiam absque ulla causa, est consentire.*—*Exponitur quanta, et qualis debeat esse ista causa.*—Unde sequitur tunc censi aliquem indirecte consentire, quando sine justa causa non curat pellere delectationem illam, nam tunc contemptio tribuitur voluntati, non necessitati. Secus vero est si ex rationabili causa permittat id facere: rationabilis autem causa numeratur duplex, prima si probabiliter quis timeat eo magis esse augendam concupiscentiam sensus, quo ipse magis conetur ad illam expellendam, colligitur ex D. Thoma, 2, 2, quæst. 35, art. 1, ad 4, et ratione, quia tunc resistere potius esset

cooperari. Addunt vero Navarrus et Cajetanus non esse mortale non depellere concupiscentiam istam ex quodam contemptu, quando nullum est prorsus periculum consensus voluntatis, licet etiam speraretur fore, ut depelleret concupiscentiam, si conaretur: sed mihi hoc non placet: quia non tantum ratione periculi consensus, sed per se quis tenetur vitare istam concupiscentiam, si facile potest: neque excusat dictus contemptus, quia ille tunc non est bonus, quia est contra legem; addo tamen illam causam vere non tam esse ad non depellendam delectationem, quam ad non depellendam tali modo, scilicet positive agendo, et quasi resistendo illi, nam negative, et quasi fugiendo tenetur illam pellere, id est, revocando mentem ad alias cogitationes, nam hoc semper potest prodesse, et non obesse. Secunda causa quæ ab omnibus probatur, est quando ad depellendam illam concupiscentiam necessarium est omittere aliquam actionem honestam, ut studium et confessionem, etc.; ablato enim periculo consensus affirmativum præceptum non obligat cum tanto discrimine, præsertim cum ille motus naturalis per se non sit malus moraliter. Confirmatur, quia alias homines deberent semper esse solliciti, et multa bona prætermittere. Vide Cajetanum, t. 1, opusc., tract. 22. Quanta vero, et qualis debeat esse utilitas istius operationis, varie explicatur ab auctoribus, et non potest certa regula præscribi, solum sunt advertenda duo. Primo considerandum est, an opus ex natura sua sit aptum natum ad excitandam istam concupiscentiam, nam tunc fere semper vitandum est, quando non est ingens utilitas, vel necessitas. Vide Cajetanum, verbo *Interrogatio*. Si vero opus non ex natura sua id habet, sed per accidens, raro tenetur homo illud relinquere propter concupiscentiam suborituram, quia ea quæ sunt per accidens, proprie non cadunt sub lege. Item, quia sæpissime id fit tentatione dæmonis, qui inde sumit occasionem: nam non solum quando honestum est opus, sed interdum, etiamsi alias sit malum, tamen utile ad res humanas, ut agere iter, etc., non tenemur illud omittere, ne sequatur concupiscentia, quæ est communis sententia. Advertendum secundo, qualis sit concupiscentia, quæ sequitur, nam quanto illa fuerit gravior, aut magis consummata, tanto majori studio excutienda, unde oportebit interdum omittere aliquam actionem, si sit periculum talis concupiscentiæ, non vero si sit minoris, et eodem modo minori culpa vitanda sunt ista, quando statim, et in

vigilia timentur, quam si in futuro, et in somno timeantur, quia illa sunt minus humana, et minus certa, et minus periculum consentiendi, quod in hac materia semper non nihil timendum est, teste Augustino, libr. de Honestate mulierum, et Hieronymo, epistola ad Eustochium, de Virginitate.

SECTIO VIII.

An in potentiis exterioribus sit peccatum.

1. Hæc quæstio expedita est supra ex dictis de malitia morali, tractatu 3, disp. 10, et ideo nunc summam ibi dicta proponemus. Prima propositio. Actus exteriores per se sunt objective mali, atque adeo peccata: licet hæc peccati denominatio secundum usitatum loquendi modum non proprie objectis, sed actibus, ut actus sunt, tribuatur.

2. Secunda propositio. Actiones istæ, ut a propriis principiis procedunt, non habent quod sint peccata: id probatur, quia ut sic, non sunt actus vitii.

3. Tertia propositio. Istæ actiones dicendæ sunt simpliciter peccata quatenus a voluntate procedunt, licet tota malitia et deformitas sit per denominationem ad voluntatem. Hæc ultima assertionis pars constat satis ex superioribus: prior vero probatur ex communi modo loquendi Scripturæ, nam Matth. 5 et 15, et ad Romanos 6, et 1, ad Corinth. 6, ad Gal. 5, istæ actiones vocantur *peccata*: item ex definitione Augustini peccatum est *dictum, vel factum, etc., contra legem Dei*: certum est autem istas actiones etiam esse lege prohibitas. Confirmatur, quia non tenemur confiteri nisi peccata, tenemur autem confiteri istas actiones exteriores. Tandem ratio propria est, quia istæ actiones ex natura sua subjiciuntur voluntati, et procedunt ab illa, et ideo ab illa, tanquam a forma, et principio denominantur; et hanc esse sententiam divi Thomæ constat, tum ex dictis de omissione exteriori, tum ex his, quæ ipse docet prima secundæ, quæstione octuagesima prima, articulo primo.

4. Solum obstat quod idem divus Thomas, quæst. 74, art. 2, ad 3, dicit actionem exterioriorem non esse peccatum etiam denominatione extrinseca, nam hoc dicit differre ab actione appetitus sensitivi, cum tamen in nostra sententia nulla videatur esse differentia. In qua re Cajetanus et Thomistæ valde laborant. Ego vero dico quoad rem ipsam, re vera nullam esse differentiam; tamen, ut jam supra

iterum insinuavi, secundum appropriationem, potest esse aliqua: nam quia appetitus sensitivus a principio intrinseco movetur in bonum et malum, quod est proprium motus voluntarii: membra autem exteriora moventur solum ut organa quædam, ideo peccatum magis attribuitur appetitui sensitivo, quam exterioribus membris, quod etiam ideo observavit divus Thomas, ut etiam intelligeremus, quare in appetitu sensitivo possunt esse actus vitiosi, et non in membris exterioribus. Unde etiam constat, quomodo intelligendum sit, quod supra diximus, et D. Thomas, art. 2, omne peccatum esse actum immanentem, nempe ratione illius formæ, a qua oritur peccati denominatio, licet etiam aliquæ actiones transeuntes poterunt etiam denominari peccata.

SECTIO IX.

An sit aliqua causa alia intrinseca peccati.

Causa interior peccati dici potest, vel lato modo omnis dispositio peccatoris, quæ est occasio peccandi: et hoc modo præcipue est duplex causa inter dictas, scilicet ignorantia et passio, de quibus jam diximus: alio modo potest sumi proprie causa, quæ directe, et per se influit in peccatum, et hoc modo dicenda sunt duo.

1. *Prima propositio.* — Prima propositio. Habitus etiam sunt causa peccatorum interna: patet, quia in universum habitus sunt causæ actuum. Dices, habitus minuit peccatum, quomodo ergo est causa ejus? Respondeo primo per se non minuit, imo auget, ut diximus superius. Secundo non solum augmenti, sed totius peccati est causa ipse habitus simul cum potentia; falsum est igitur quod assumitur.

2. *Secunda propositio.* — Secunda propositio. Quatenus unus actus voluntatis potest esse causa alterius, fieri potest, ut unum peccatum sit causa alterius, ita D. Thomas 1, 2, q. 75, a. 4, ubi probat, quia actus est causa habitus, deinde habitus est causa sequentium actuum; ergo et actus actuum; quæ ratio solum probat causalitatem per accidens, nisi moraliter exponatur. Aliter probatur, quia unum peccatum potest esse causa alterius eo modo, quo intentio finis est causa electionis mediorum, quem causandi modum explicat D. Thomas 1, 2, q. 84, per quatuor articulos, quem vide.

3. *Quo pacto divitiæ dicantur radix peccatorum.* — Adverte primo cum inquit appetitum divitiarum esse causam et radicem omnium

peccatorum ex Paulo 1, ad Timoth., ultimo, non esse necessariam, sed, quia ista radix est sufficiens ad importanda reliqua peccata, vel per modum pravæ intentionis, ut dictum est, et exponit Durandus 2, dist. 24, quæst. 3, vel per modum fomenti et instrumenti omnium peccatorum, nam divitiæ sunt instrumenta ad omnia vitia, ut vult D. Thomas; utroque enim modo exponitur a sanctis Ambrosio, ibi et Hieronymo et Augustino, Psalm. 105, et Isidoro 2, de Summo bono, cap. 4, et Bernardo, sermone 6, in Psalm. 90, licet locus Pauli alias habeat expositiones. Secundo adverte quod divus Thomas, eadem quæst. 84, inquit superbiam esse radicem omnium peccatorum, eodem prorsus modo esse exponendum, et non quod necesse sit: ut inquit Cajetanus, in quolibet homine peccatum superbiæ esse primum quod sit radix aliorum, nam id nulla probabilitate dicitur, neque quod referendum id sit ad peccatum primi Angeli, vel primi hominis, ut exponit Durandus, supra, sed quia iste appetitus excellentiæ est quoddam vitium, quod per se quælibet alia vitia parit, tum quia nullum est temporale bonum, quod non possit ad excellentiam aliquo modo conferre; tum quia excellentia quamdam præbet facilitatem ad transgredienda præcepta, quia non recognoscit superiorem. Ita docent sancti Isidorus, supra, cap. 38, et Chrysostomus, homilia 46, ad populum. Tandem exponit D. Thomas, in illa quæst., quomodo numerentur septem peccata quasi capita et principia aliorum, quod ipse bene declarat, vide Gregorium 31, Moral., c. 3, et Cassianum, collatione 1.

DISPUTATIO VI.

DE CAUSA EXTRINSECA PECCATI.

Vide auctorem, lib. 8, de Angelis, cap. 19. — Inter causas extrinsecas peccati de tribus posset esse controversia, homine, dæmone et Deo: cæteræ enim res cum naturaliter tantum agant, ac bona sint, de se ad bonum provocant, licet interdum homo prave illis utatur. De homine clarum est, quomodo possit esse causa peccati alterius, scilicet consulendo et præcipiendo, constat etiam quomodo esse non possit, scilicet efficiendo proprie peccatum alterius, aut efficaciter, et necessario movendo. De Angelo malo etiam patet posse esse causam peccati hominis, et inductione externa si velit, et suggestionem interna: et hoc vel proxime per seipsum, vel remote per alium. Certum